Leibn.
Marg.
190

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 190

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

70.

Hardtii

AD VALENTEM

TRIPLEX NUMMUS.

Dean Hardouin

ADVENTORIAM ad Norisium nuper in Urbem misi pro Eumenio, quem alia longe negotia distinent: at nunc idem impatiens moræ reſpon-ſum a te, VALENS, quamprimum jure quodam flagito. Nam & te do-cente Samariam epochamque Samariæ in Cæſareæ nummo Norisius vidit: & illum, opinor, tui magisterii adeo pudebit, ut cum illud epistolium legerit, penitus obmuteſcat. Itaque cum tui præſertim ulciſcendi cauſa ſtilum arripue-rit: te, ſi quid cordis habes, Norisio nunc vicem rependere, ac ferre opem amico laboranti decet. Erat ille nummus, ſi neſcis, ſi nondum ad te noſtra perlata eſt pagina, Norisio quidem ita referente inſcriptus ..... ΣΕΒΑΣΤΟΣ Ex averſa parte, ... ΑΡΙΑ Η ΠΡΟΘΣΕΒΑΣΤΩΝΜ..... L. ΙΑ. Neque enim viderat ille alterum magis integrum, quem oſtendente perhumaniter, ut ſolet, V. Cl. O u-DINETO, Gazæ Regiæ Cuſtode, diligenter exploravimus, cum aliis ejuſdem Gazæ plurimis, quos hic & alibi indicaturi ſumus. Eſt hic autem ita perſpi-cue inſcriptus, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. In parte nummi poſtica hæc tantum apparent, Μ..... Η ΠΡΟΣΕΒΑΣΤΩΝ. L. ΙΑ. Effigies interim Genii civitatis eadem plane in utroque. At Cæſar in priore tam vultu diſpar ab altero, quam ſimiles inter ſe fuiſſe ambo moribus vulgo exiſtimantur: quoniam *portio Neronis de crudelitate Domitianus* a neſcio quo in Apologetico dici-tur. Itaque ad Domitianum referri oportere priorem illum viri periti adhuc multi cenſent: referri certe poſſe a nobis demonſtratum eſt haud uno argumen-to. Et Norisii quidem intereſt Domitiano illum obſtinate adſerere: cum & vultus ille, quem ſcalpi ſuo ipſe in libro curavit, non Neronem referat, ſed Domitianum: & ſub iſto potuerit Samaria cultum profanæ ſuperſtitionis in num-mis inſculpere, qualis hic depingitur: non potuerit ſub Nerone. Ut autem in-telligas quam longe a ſtudio contentionis abſim, quam me veritas una de-lectet: do Græcæ, ſi quidem ita cenſeas, do rudioris ſcalpturæ vitium iſtud eſſe: do utrumque Neroni adſcribendum eſſe: denique do priorem ſic legi oportere, ΜΗΤΡ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟ. vel ΠΡΩ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Nam eſt ea littera in ancipiti controverſia apud eos, qui negant eſſe vel Θ vel Φ. Θ quidem certe aïunt eſſe non poſſe: nec Θεῶν Σεβαστῶν; quod nefas erat Neronis ævo Θεὸν Σε-βαστὸν alium appellare, præter Divum Auguſtum: quo ævo nullum ex ære nu-miſma cum S C Divum quemquam appellat e Cæſaribus, præter illum: Φ autem ſibi non ſatis liquido ibi apparere; ſed Ο vel Ω tantum. Itaque nunc quidem illis aſſentimur, qui legunt, Μητρόπολις Καισάρεια ἡ πρώτη Σεβαστῶν. Somnium enim de Epocha Samariæ, quod caput diſputationis fuit, mirabili omnium conſenſione ſibiloque exploditur.

Jam ſi qui ſint illi Σεβασοὶ rogas, paucis accipe. Nam de Cæſarea tunc pro-miſi alias me dicturum: & hic locus poſcit ut fidem meam liberem, ac pro-miſſi ſaltem nunc partem exſolvam. Duo ſunt illi dumtaxat, Auguſtus, & Clau-dius. At Cæſarea Auguſtorum, inquies, quorſum dicitur, aut unde tam in-ſolens appellatio? Quoniam ab Herode priore in honorem Auguſti condita ea civitas eſt, ab altero Herode prioris filio in honorem Claudii amplificata & exornata. Neque enim anni unius opus fuit tam amplæ civitatis exſtructio

A

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

X. 449

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [5] - 1
PUBLIC DOMAIN

atque consummatio. Ac de Augusto quidem testis est Plinius, lib. v. sect. xiv. *Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege condita*, quem Augusti principatu vixisse in confesso est. Atque illud fortasse tempus spectat etiam nummus exiguus Gazæ Regiæ, ΚΑΙΣΑΡΙΑ, cum ara: in altera superficie ΣΕΒΑΣΤΗ, in corona laurea. De Claudio testem nummum habes ab Herode altero conflatum, anno secundo Claudii, quem nummum e Gaza Barberina recitat Hollenius in Stephanum, pag. 154. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ, ubi caput Herodis cinctum diademate: in parte nummi postica, intra coronam lauream, ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Ejusdem Herodis nummus est Regius alter, anno sequente percussus, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ φιλοκλαΥΔΙΟΣ, cum simili capitis diademati effigie: in aversa area, ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. ἔτους γ'. *anno tertio*, in corona laurea. Opiniones refellere virorum eruditorum, sive Norisii, qui ad Herodem Chalcidicum hunc nummum geminum refert, & quæ Cæsarea in priore appelletur, hæsitat: sive aliorum, qui hunc Agrippam appellant: alterius erit loci ac temporis. Annus ille interim Claudii secundus alteram Cæsarienſium Palæstinæ epocham aperit, post Augustanam: ex quo nimirum Cæsarea & Claudia & Germanica cœpta est nuncupari. Hanc primum æram exhibet mediocris moduli nummus, e Cimelio Viri Illustr. D. Dronii, Canonici S. Thomæ ad Luparam: quo Cimelio nullum esse arbitror, in ære præsertim mediocris formæ, post Gazam Regiam locupletius. In nummo legitur, ΚΛΑΥΔΙΟC ΚΑΙCΑΡ. Nam illa jam ærate, atque adeo sub Augusto, ἄγμα rotundum passim in nummis occurrit. Parte altera, ΕΤΟΥC ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΙΓ. *anno Cæsarienſium decimo tertio*, qui Claudii Cæsaris quartus decimus fuit: cum turrito capite, quale in nummo Titi exhibuimus, COL. CAESAREA. L. IB. ΦΑΑ. Post illum alter Commodi nummus ejusdem molis, ex eo Cimelio, eamdem signat æram. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΝΤ. ΚΟΜΟΔΟΝ. C. Αὐτοκράτορα Καίσαρα Μάρκον Αὐτωνῖνον Κόμοδον Σεβαστόν, capite laureato. In aversa parte, ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. Genius urbis rupi insidens spicas dextra tenet, ubertatis annonæ indices, fluvio ad pedes emergente: quæ forma passim in nummis Cæsareæ occurrit, ut apud Patinum in Sueton. pag. III. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ. In nummo Commodi quem tractamus adjicitur ΡΛΘ. annus CXXXIX. Adi sis Virum Illustr. D. Dronium, quo nemo nobis perspicacior visus est in hac amplissima civitate in perlegendis nummis antiquis; in æstimandis nemo peritior, in exhibendis nemo commodior: sic enim apud ipsum perspicue ipsi legimus: tametsi Norisius in Epochis addendis pag. 477. doctissimum virum ait ad se scripsisse in hoc nummo mediæ litteralis notæ vestigium nullum superesse: *Plane autem constat*, pergit idem, *non aliam ibi scalptam fuisse, quam litteram* M. Admove dioptram, Valens, pro Norisio, vel contende aciem; & nos, si potes, erroris argue. Est hic annus Urbis Romæ DCCCCXXXIII. æræ Christianæ CLXXX. idem annus CXXXIX. autumno iniens, a secundo Claudii anno, Urbis Romæ DCCLXXXV. æræ Christianæ XLII. Quo anno & Claudia Cæsarea & Germanica a Claudio Imp. & a Germanico Cæsare Claudii fratre appellari cœpta est. Non potuit enim non esse Claudio perjucundum hac gemina appellatione a Cæsarienſibus memoriam consignari, tum sui ipsius nominis, tum veterum Germanici fratris meritorum erga eam civitatem. Annus hic primus Commodi fuit, quo primum ille cum imperio post patris excessum, Marci nomen accepit. Itaque quem in æræ suæ annum hic Commodi adventus incurreret, qui mos plerarumque in Oriente civitatum fuit, Cæsarienses notarunt. At iidem paulo postea, a Commodo, ut simile veri est, admoniti, Commodianum præterea nomen adscivere,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [6] - 2
PUBLIC DOMAIN

in nummo eo, de quo nuper ad Norisium scripsimus, KAICAPE. ΓΕΡΜΑΝΙΚΕ ΚΟΜ. Α. in corona laurea, *Cæsarienſium Germanicenſium Commodianorum anno primo*. Post Commodi obitum sola retenta est prior Cæsareæ Germanicæ appellatio, in nummis Pescennii Nigri, Severi, ac Juliæ Domnæ: quos ad Germaniciam Euphratesiæ civitatem referunt omnes Antiquarii, inquit Norisius, pag. 11. ubi eos sequitur duces: sed, ut est in paræmia vetere, τυφλοὶ τυφλῷ ὁδηγοί. In Euphratesia Γερμανίκειαν Notitiæ exhibent, & Καισάρειαν, oppida duo: Καισάρειαν Γερμανικὴν nemo. Neque cuiquam homini sano non incredibile videatur, quæ primum civitas dicta fuerit Καισάρεια Γερμανική, eamdem postea Cæsareæ vocabulum fastidisse, ut nomen sibi cuderet alterum Γερμανικείας. Quæ ad istum igitur nummum, anno illo quem diximus ΡΛΘ notatum, de Germaniciæ & Commagenes æra Norisius disputat, non est hic operæ pretium pluribus verbis refellere, cum nec ullus sit istic aut Germaniciæ aut Commagenæ locus. Alias a nobis de ætate Commodi, quem hic nummus barbatum depingit, disputabitur.

Habes hactenus, optime VALENS, quamobrem Cæsarea Augustorum in illis duobus nummis appellata sit: quæ si tibi nondum faciunt satis, confer te domum Illustr. viri D. DRONII. Faciet ille tibi copiam nummi minimæ formæ, Diadumeniano Cæsare percussi, COL. PR. FL. F. AVG. CAES. cum Serapidis capite. *Colonia Prima Flavia Felix Augustorum Cæsarea*. Sic enim interpretamur, Græcorum numismatum admonitu: nisi quid tibi rectius istis occurrit. Quæ si tibi probantur, intelliges nullo labore, cur in altero nummo quem descripsimus, Neronis nomine ac vultu, Metropolis Cæsarea appelletur Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, hoc est, ἡ πρώτη Σεβαστὴ Σεβαστῶν, *Cæsarea prima Augusta Augustorum*. Nam Ο pro Ω sæpe solitum in nummis lapidibusque poni discis ex Spanhemio & Grutero. Et Σ unicum pro Σεβαστὴ, ut in nummo Commodi ante allato, alteroque singulari Crispinæ conjugis, quæ filia Bruttii Præsentis, eo anno Consulis, quo solus rerum potitus est post obitum M. Aurelii Commodus: ΚΡΙCΠΕΙΝΑ. C. ΒΡΟΥΤ. Κρίσπεινα Σεβαστὴ Βρουτίου: aut, quod tu mavis, Βρυττίη: quanquam ea vox si in recto foret, præponenda Augustæ titulo fuisse videtur. Ut hic autem C Græce pro Σεβαστὴ, sic Latine occurrit A pro *Augusta*, non modo in nummo perelegante ejusdem Cimelii Droniani, mole exigua, qui M. Aurelii caput senile exhibet, in altera parte Faustinam conjugem, cum epigraphe, FAVSTINA AVG. C. A. C. *Colonia Augusta Cæsarea*: verum etiam in aliis, quos in Antirrhetico descripsit Eumenius: ubi cum splendide te exagitarit, quod eos Coloniæ Æliæ Capitolinæ dederas, nihil adhuc reponere ausus es.

Pro his autem quæ tibi indicamus, cupimus a te quædam vicissim doceri: aut si impar es, ab his quos adhibere voles in consilium: nam hæc & habere nonnihil difficultatis videntur, & esse tamen digna exploratu. Dic, amabo, cur Cæsareæ Palæstinæ cives statim ethnicos nummi repræsentant? An conditor urbis ipse, Herodes prior, ethnicus fuit, condiditque civitatem ideirco pro ethnicis, nempe Græcis indigenis ac Romanis, sibique in ea Prætorium, ut sacræ litteræ prodidere? Cujas ergo Herodes fuit? an Græcus, an Atticus? Vidi certe nuper, qui hanc illius fuisse patriam colligere vellent, tum aliis argumentis, tum ex vetusto lapide, quem Sponius descripsit in Miscellaneis, pag. 319. viros utique delicati admodum superbique fastidii, qui priscæ Judæorum historiæ veritatem negent aliis ex fontibus tuto repeti, quam ex sacris litteris, deinde ex nummis antiquis, ac vetustis lapidibus: in eaque sint hæresi, ut cetera monumenta fabulis esse simillima censeant. Audax effatum: sed quod haud

temere prolatum a se ut crederem, effecturos se spopondere. Dic præterea, cur extra Judæam urbes quinque in gratiam Cæsarum ab Herodiadis conditæ sunt, in Judæa nulla? An in Judæa Cæsaream primam condere idcirco noluit prior Herodes, quod minime ausus fuit in terra sancta, ne Judæorum animos offenderet, ethnicis domicilium collocare: suosque satis habuit Herodianos ethnicos habere in comitatu? An ipsa Tiberias, an & Julias, in gratiam Juliæ Tiberii, non matris, ut Josepho visum est, sed conjugis, ab Herode altero condita in *Galilæa gentium* fuit, quod in ditione sacra Judæi non tulissent sub profano nomine urbem exstrui? An & illam eamdem ob causam urbis Sebastes ne levissima quidem mentio est, aut in sacris paginis, aut in nummis, ante Domitiani Aug. exortum? an causa, inquam, tam diuturni silentii ex eo repetenda, quod invisa genti Judææ illa ædificatio in suo solo fuit, atque idcirco eo anno interrupta, quo cœpta est, dudum ante Christi natalem, neque ante primum Domitiani annum repetita? Cave enim existimes Samariam, ex quo excisa fuit a Salmanassare, oppidi nomen esse, idemque cum Sebaste. *Regionis* ex illo tempore Samariæ appellatio est, in sacris Novi etiam Testamenti litteris, in nummis veteribus, denique apud Plinium: quo teste *Neapolis Samariæ*, quæ ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕ. in nummo Domitiani legitur, e Cimelio Dromiano, primum in ea provincia: Sebaste, alterum dumtaxat locum & gradum obtinuit. Cæsarea Philippi certe, quin in Decapolitana regione, atque adeo in profano solo fuerit, nemo, opinor, ambigit. Nec tamen ulla vel in istius etiam Cæsareæ, vel in Tiberiadis numismatibus, nota profanæ superstitionis apparet, nisi multo post Judæam captam. An eadem erga Judæos reverentia effecit, ne in nummis monetave publica vultum suum aut prior Herodes, quem vulgo Magnum appellant, aut filius Archelaus insculperet? Exstat illius quidem certe in Cimelio Regio, & alibi, nummus, ΗΡΩΔΟΥ cum uva: ex parte altera, galea, ut nonnullis placet, & vox ΕΘΝΑΡΧΟΣ. Quæ vox non Judææ tantum, sed toti Judæorum genti Regem impositum sonat. Archelai autem nullus, quod quidem sciam, nummus adhuc conspectus a quoquam. Cave enim te impellat in fraudem nummus ab aliquo monetæ veteris adulteratore reconcinnatus, qui ex Augusti vultu vel alio simili fecit Archelaum, inscripsitque ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΧΕΛΑΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ. Fuit enim a Manassæ regis fere temporibus usque ad Herodem tam Judæa regio divisa a Galilæa, ac regno Israëlis, nisi quod in sacris summo Pontifici Hierosolymis versanti Israël quoque paruit, & ultro adversus barbaros socias vires copiasque junxit interdum: sed fuere semper, si istud exceperis, tam inter se provinciæ illæ discretæ, quantum ad civilem administrationem attinet, quam nunc est ab Italia Gallia: quæ nihilominus summum Pontificem Romæ degentem sacrorum præsidem, ut par est, agnoscit. Id vero planius historia Judith propediem, ut spero, edenda docebit. At nec utrique illi quidem provinciæ, sed Judææ tantum ac Samariæ præpositus a Romanis Herodes fuit, ut fidem faciunt Cæsarea & Sebaste ab eo conditæ, præter alia argumenta. Inde Ethnarcha est appellatus: quo nomine ibi fuit nemo post ipsum: quod nemo post ejus excessum in sua potestate ac ditione tenuit totam gentem eam, quæ illis temporibus gentis Judæorum, ἔθνους Ἰουδαϊκοῦ, peculiare nomen sibi vindicabat: hoc est, Judæam simul ac Samariam. Archelaum Ethnarcham qui faciunt, quicumque illi sint, sacro scriptori Matthæo adversantur, qui cap. II. 22. solius Judææ finibus Archelai ditionem circumscribit. Fer nunc de nummi istius sinceritate judicium, qui Archelaum exhibet & βασιλέα & ἐθνάρχην: quæ duo vocabula an etiam recte copulentur, scisscitare, quæso, ex hominibus Græce peritis, quo istud exemplo, vel quo teste

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [8] - 4
PUBLIC DOMAIN

idoneo approbent. In eximio certe numiſmate, e Cimelio Viri Illuſtriſſimi D. BEGON, Summi rei æreariæ, judiciariæ, ac maritimæ in ſua provincia Præfecti, Herodes ſequens ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, & idem poſt biennium ΗΡΩΔΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ alibi nuncupatur: nuſquam aut ille aut alius Βασιλεὺς τετράρχης. Quarum quidem junctura vocum ut eſt inconcinna, quid de iſta, quæ ſimillima eſt, ſtatuendum putas, Βασιλεὺς ἐθνάρχης? In Archelao certe, ut diximus, falſi tituli ſunt. At in Galilæa qui regnarunt, ſive tetrarchæ, ſive regio etiam titulo, haud par iſtis religio fuit vultum ſuum in nummis ſignare. Ex eo ille numero fuit Herodes, quem vulgo Antipam vocant, quem primo tetrarcham ſub Caïo, deinde ſub Claudio regem nummi repræſentant: eum ipſum, de quo Lucas in Actis cap. XII. Vide enim quo metu, qua religione ſim. Quem ſacræ paginæ, ſimul ac nummi veteres, nuſquam Antipam vel Agrippam, ſed ſimpliciter Herodem appellant, hunc ego vel Antipam vel Agrippam vereor appellare: Herodem hunc præciſe dico: Herodem olim unico nomine appellatum puto; gnarus utique, ut jam ſemel dixi, apud homines non ineruditos, ceterorum teſtium, ubi contra ſacras paginas nummoſque, & lapides, proferantur, fidem nullam eſſe.

Hæc ſunt de quibus ab his, per quos olim profeciſti, velim ipſe doceri: dummodo certius aliquid afferant, quam ſit teſtimonium Joſephi, vel ſimilium. Ab his autem ut aliquid exſculpas, quod ad nos deinde referas, dicam viciſſim aliquid in aurem, quod ſit e re tua. Cur, amabo, in indiculo nummorum veterum, quem nuperrime in lucem emiſiſti, denuo crabrones irritas, nec a convitiis abſtines? Cur Eumenium *pugnacem* atque *contentioſum* vocas, quod Galbæ nummum, REST. NUM. de reſtituta Numantia interpretatus ſit, neglectis Antiquariis, qui de Numidia accepere: cum nihil dici felicius certiuſve illa Eumenii interpretatione poſſit? Cur eumdem rides, qui prima olim conjectura in nummo Tarſenſium ΓΒ de anno ſecundo interpretatus ſit, quaſi littera L inverſa: taces callide vel improbe, quod in Antirrhetico poſtea dixit idem, pag. 56. malle ſe χάμμαπ Βασιλέως cum Philoxeno legere? In ſententiam abis illius, qui γώμη Βελῆς te docuit legi oportere. Equidem quod hunc conſuluiſti, magnopere laudo: eſt enim perſpecta viri eruditio. Cave tamen illum ſemper audias; præſertim cum in Notis ad Lactantium, pag. 110. ut Conſtantinum Maximi cognomen accepiſſe probet anno CCCXII. nummum ex Mediobarbo affert, IMP. CONSTANTINVS MAX. P. F. AVG. S. M. HER. VOTIS V. MVLT. X. VICTOR. AVG. P. TR. neque animadvertit, (ſed quis eſt tam lynceus, qui nuſquam offendat?) non vidit, inquam, nummos ibi duos deſcribi: alterum S. M. HER. *ſignata moneta Heracleæ*, haud ante annum CCCXXV. quo & Maximi cognomen accepit in nummis, &, ut nunc quidem opinor, ex eo *Ludi Maximati* dicti fuere in Kalendario Herwarti: alterum P. TR. *percuſſa Treviris*, ante annos amplius XV. Sed quorſum alteram illam Eumenii cogitationem ſane non ineruditam de his litteris ΓΒ omiſiſti? Acerbe te ſcilicet Antirrheticus ille ſingulis fere verſibus pupugit: quo ex libro ne minimum quidem apicem auſus es attingere: cum & jam triennium tamen effluxerit, ex quo publicam lucem aſpexit, & ingenti promiſſor hiatu per cœtus ac vicos habere te in promptu jactites Eumenii Antirrhetico quod opponas. Ergo illæ ingentes minæ quo reciderunt? Ad hæc tantum duo capita, quæ commemoravi: neque illa quidem ex Antirrhetico, ut dixi, ſed ex primo de Nummis conatu Eumenii repetita.

At quantam in molem volumen excreſcat, ſi quis errata hujus quoque no-

vissimi tui partus sub aspectum proferat? Unicum ego nunc amice indicabo, quod emendes, si est adhuc integrum, priusquam Eumenius resciat. Erit iste post duos Cæsarienses ante allatos nummus tertius de quo nunc conferre tecum sermonem institui. Pag. 351. nummum Volusiani affers. IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. Dic tu primum ubi talem videris, ne quis reconcinnatum a te malevolus suspicetur. Habet Occo sane, pag. 458. IMP. C. VA. F. GAL. VIND. VOLVSIANO AVG. Tu pro VIND. reponis VEND. Cur autem? Quoniam in nummo Græco, quem alibi affers, scriptum est, ΑΥΤ. Κ. ΓΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟCΙΑΝΟC. CEB. Ita nos quidem legimus in perraro Cimelii Droniani nummo, & in altero rursum, Α. Κ. ΓΑ. Φ. ΓΑΛ. Β. ΒΟΛΟΥCΙΑΝΟC. ΕΥ. Verum, mi homo, qui Latinis Vindex est, quod nomen gessit adsertor ille libertatis a Nerone, idem Græcis est litteris permutatis Οὐένδιξ, sive Βένδιξ: ut qui Britannicus illis est, idem istis ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ est appellatus: & νῆσοι Βρεταν ίδες Dionysio Periegetæ, v. 566. & Βρεντέσιον Marciano Heracleotæ v. 363. quod Latinis Brundisium & Britannia est. Οὐίνδιξ quidem Plutarcho in Galba dicitur, Xiphilino Βίνδιξ. Scisciture autem ex aliquo Græce perito, num vel hoc indicio uno, ut alia desint, prodant isti scriptores, quo sint sub cælo nati: qui nescierint Græci sermonis euphoniam postulare, ut Οὐένδιξ sive Βένδιξ per metathesim litterarum dicatur, qui Latinis Vindex est: perinde atque cum Μιθεδάτην iidem appellant, quem dici Μιθραδάτην ab his qui in Græco tractu nati & alti sint, oportuit. At festiva tua est hujusce nummi interpretatio: *Imp. Cæsari Vandalico Finnico Galendico Vendenico Volusiano Aug.* Primum, unde tot tituli triumphorum Volusiano adseruntur, quorum ne unus quidem in Treboniani patris nummis apparet? quomodo tot partæ anno uno victoriæ, quot a nemine Augustorum priorum annis pluribus? In Finniam sive Finlandiam, aut in Vandaliam usque penetrasse arma Romana, quis unquam somniavit præter te? ΓΑ deinde Γανδαλικοῦ exponis, &, Latine putas Vandalicum reddi posse: quis vero hic risum contineat? Vandalos, inquis, Finnos, Galindas, & Vendenos Baudrandus recenset verbo *Vendeni*, cum Ptolemæo. Fallis, o bone: longissime abfuit Vir Cl. Baudrandus ab hac imperitia. Nullos enim uspiam ille Vendenos, sed Venedos habet, quos Lithuanos esse arbitratur, a Venedico sinu cognominatos, qui nunc sinus est Dantzicanus. Galindas idem in Prussia collocat, Ptolemæum secutus, qui pariter lib. III. cap. v. non Vendenos, sed Οὐενέδας *Venedas* habet. Dic præterea, sodes, an usquam Germanici, Dacici, Parthici, Armeniaci cognomina videris in nummis præponi vel nomini Augustorum vel ipsi Augusti titulo. Quæ hic ista igitur novitas, vel potius barbaries est? In Caii quidem & Claudii nummis plerisque Græcis Germanici nomen Augusti titulo præponitur in hunc modum: ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, & ΤΙ. ΚΛΑΥΔ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. quoniam videlicet non tam ibi titulus victoriæ, quam gentilitium a Germanico deductum nomen est, quem fratrem alter, alter patrem habuit. Sed quid isthæc te exempla juvant? Lege ergo, si me audis, Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαλέριος Φίνιος Γάλλος Οὐίνδιξ sive Βένδιξ Οὐολοσιανὸς sive Βολοσιανὸς Σεβαστὸς, in altero Εὐσεβὴς *Pius*. In Latino, *Imp. Cæsari Galerio Finio Gallo Vindici Volusiano Aug.* Nam Occonem proclivi lapsu in suo legisse VA pro GA Græci nummi admonitu credam, donec Latinum videro. Quot hic igitur nomina Volusiani sunt? quot Herennii fuere iisdem temporibus. Q. HER. ETR. MES. DECIVS AVG. *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius Aug.* & Hostiliani fratris, C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINTVS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [10] - 6
PUBLIC DOMAIN

AVG. Tam profecto a Vandalis, Finnis, Galindis, Vendenisque devictis Volusianus retulit illas appellationes, quam ab Etruscis superatis Q. Herennius Etruscus est cognominatus. Finii vero nomen, vel, ut alia multa, ipsum quoque igno[illegible]st: vel Fenius est, ut apud Gruterum pag. 782. 10. FENIVS ACHILLEVS. At in tot certe filii nominibus mirum foret nullum apparere paternum: itaque Gallum interpretari Græcam Latinamque syllabam ΓΑΛ. & GAL. jus & ratio postulat: ut Treboniani Galli filius agnoscatur, *Galerius Finius Gallus Vindex Volusianus*, scriptoribus rerum Romanarum ignotus, ut alias dicemus.

Restat unum extremo, quod te moneam. Nosti COGNATVM? Frigidum illum Diarii textorem. Quæ Norisius objecit Eumenio, imperite ab eo objecta, a Cognato malitiose fuisse descripta nuper dixi. Hic senex placidissimus, Eumenioque ipso εὐμενέστερος, ex his gravissimum selegit, atque ut se malitiæ ac fellis expertem probaret, iterum descripsit: acerbissimumque id fore Eumenio, cum incredibili, ut apparet, animi voluptate dixit. Hunc locum autem si exceperis, opus illud quindecim dierum ne micam quidem habet, non dico eruditionis, qua semper caret, sed salis aut leporis. Crimen est autem illud hujusmodi. Cum exponeret Eumenius nummum singularem Antonino Principe conflatum, ΚΟΙΝΟΝ ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. ΠΡΟΔΙΟΝ. ΚΑ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ΑCΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ. qui nummus crucem fixerat Antiquariis: nam ad vocem illam ΠΡΟΔΙΟΝ tanquam ad scopulum omnes adhæserant: Eumenius felici Minerva sic interpungendum censuit. Π. ΡΟΔΙΟΝ. atque interpretandum, Πυπανέως Ῥοδίων, idque egregie stabilivit. Tres omnino paginas illius nummi implet expositio. Ibi dicendum fuit aliquid de Asiarchis: quos quis est etiam tiro, qui non norit: cum de his ad fastidium tractent interpretes Actuum Apostolicorum? Itaque ex adversariis suis Eumenius, de modo, quo Asiarchæ eligebantur, non totidem quidem verbis, sed tamen iisdem sententiis nonnulla descripsit, quæ ille ex Valesio, ut Valesius ex Usserio acceperat. Quantumvis enim istud per se leve sit, tritum, ac pervulgatum, ac nullius fere eruditionis, commodum tamen visum ei est ad integram nummi expositionem. Hic furti Norisius Eumenium insimulat, idoneus scilicet accusator: cujus & historiam Pelagianam ex Transalpinis schedis consutam olim fuisse, ne ipse quidem fortassis Cognatus ignorat: & in recenti de Epochis opere, cum primum lucem aspexit, e grege avium pars suas agnovit, pars suas repetitum venit ingenti strepitu plumas. Sed majore etiam stili acerbitate hoc ipsum, Norisii verba exaggerans, semel iterumque Cognatus inculcat. Eumenium *de alieno labore sibi famam parare, eruditorum sensa ac verba sibi sumere, tacitis auctorum nominibus: quippe qui viginti versus ipsos ex Valesii notis in Eusebium descripserit.* Nihil aliud iste reperit ab annis quatuor, quod reponeret objecto sibi ab Eumenio, quem imperite lacessiverat, gemino crimini: altero inscitiæ in judicio ferendo de operibus Augustino attributis: altero, adsperſi hæretico dogmate Diarii. Tu, VALENS, & Cognatum mone, si pergat obstrepere, culicem, ut quidam docet, cap. VIII. libri III. Hexaëmeron, fugandum absinthio: & Norisium, Cuperum, aliosque similes, cave imiteris: quos amicus quidam noster antique & facete appellavit in litteratura scrutarios. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Idibus Quintil. MDCLXXXXII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [11] - 7
PUBLIC DOMAIN

UT ego te quærendi Sponiani lapidis, cujus mentionem feci, solicitudine liberem, pagina hæc vacua admonet. Est ea igitur inscriptio hujusmodi, a Sponio descripta Athenis.

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ
ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ
ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ
ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟΓΕΝΟΥΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Senatus Areopagi, & Senatus Millevirorum, & Populus, Juliam Berenicen Reginam Magnam, Julii Agrippæ Regis Filiam, & magnorum Regum benefactorum urbis Neptem venerantur, *procurante Urbis curatore Tiberio Claudio Protogene Paanienſi.*

Finge nunc animo; liberæ enim sunt, ut aït Tullius, cogitationes nostræ, neque quæcumque fingimus, ea esse statuta ac fixa ponimus: finge igitur cogitatione esse aliquem, qui certissimis noverit, aut se nosse putet, ut sit, argumentis, plani alicujus ex nefaria quadam factione opus illud esse, quod Josephi nomine circumfertur, similiaque forte non pauca: an hunc arbitraris ad cetera, si qua ei suppetant, argumenta posse istius lapidis accessione juvari: qui lapis in Herodiano genere describendo cum veteribus quidem nummis congruat, sed longe aliam, quam Josephus, stirpium seriem repræsentet? Utramque, quo facilius ea de re sententiam feras, oculis subjicimus.

HERODES Ethnarcha Judææ ac Samariæ: ex nummis.

ARCHELAUS Judææ Tetr. quo decedente ablatum est sceptrum de Juda, redacta in Provinciam P. R. Judæa, seu tribu Juda, quæ judices hactenus, aut reges, ducesve habuerat.	HERODES Galilææ tetrarcha, & postea rex additæ Samariæ: ex nummis. Anno Claudii tertio obiit. Act. XII.	PHILIPPUS Tetrarcha Iturææ.
	AGRIPPA, Rex Galilææ, cujus ætate Judæa capta est a Vespasiano: nummi occurrunt usque ad annum Titi primum.	vxor Berenice, Act. XXV.
	AGRIPPA, primum vice Cæsaris Rector Samariæ, deinde & rex simul Galilææ, ex nummis:	BERENICE soror Agrippæ.

quorum series perducitur a primo fere usque ad XIV. Domitiani annum. Ex eo cum nummi sileant, eo anno videtur erepta Senatui post Agrippæ obitum Galilæa, & fisco Principis addicta, anno sequente a Nerva Imp. eidem restituta, locum dedisse nummo percelebri, FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Sed Judæa ipsa vetitis accipi oportere, intelligimus ex Plinio lib. XII. sect. LIV.


HERODES M.

ARCHELAUS.	HERODES, Tetrarcha Galilææ.	ARISTOBULUS. PHILIPPUS.
		AGRIPPA, qui anno Claudii tertio obiit.
	BERENICE.	AGRIPPA, sub quo capta sunt Hierosolyma: quem usque ad tertium Trajani annum vixisse Justus Tiberiensis, ut aïunt, prodidit.

Si priore juvat Herodiani generis descriptione stare, quæ sacrarum dumtaxat paginarum auctoritate, nummorum veterum, lapidumque nititur, apparet liquido quamobrem Berenice Agrippæ filia, Herodis neptis, Herodis alterius proneptis, atque adeo regis filia & regum ἔκγονος appelletur. Cujus vocis si vim ignoras, disces nullo labore ex Gruteri inscriptionibus pag. CCLV, 4. & Sponii pag. 112. & 329. & 354. Ad Agrippam juniorem, fratrem ejusdem Berenices, quomodo pertineat nummus insignis exiguæ molis e Cimelio Regio, IM. CA. D. VES F. DOM. AV. GER. COS. XII.)(ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. ΚΥ. SC. ubi caduceus cum gemino Cornucopiæ: cur & ἐπὶ præter morem cum voce βασιλέως ibi copuletur, alias tibi indicabimus; nummos enim veteres Herodiadum per annos jamdudum digessimus. At si priorem mavis, quæ Josephum auctorem habet, descriptionem sequi, fuit Berenice regis unius, hoc est, Herodis Magni, ut vocant, non regum ἔκγονος: siquidem nec βασιλεὺς Aristobulus, nec Athenienſium εὐεργέτης fuit. Aveo, si me amas, de tota hac dubitatione quamprimum rescire, quid tu tuique sentiatis.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [12] - 8
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [13] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [14] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 856 320

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [15] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 190, Stück 3, [16] - -

PUBLIC DOMAIN